



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

Nvm. 1. Vitia veterum Gallorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 4. Mores Gallorum.

His complectemur, *vitia*, *virtutes*, *vestes*, *arma*, *domus*, *vitium*, *funera*.

NVM. I. *Vitia Gallorum.*

Duo maximè recensentur, quòd crudeles, quòd imprudentes; ad imprudentiam leuitas reuocatur.

CRUDELITAS elucebat in quatuor. 1. Quòd in caluariis hostium auro exornatis biberent; quòd illustrium virorum capita non redderent, nisi tantumdem auri rependeretur; ita *Strabo* & *Liuius*. 2. Quòd homines Diis suis immolarent, sagittis confidentes, aut agentes in crucem, aut in colosso ligneo cum animalibus comburentes. 3. Quòd ex palpitatione, & sanguine morientium ariolarentur. 4. Quòd ad consilia bellica extremum qui veniret omnibus suppliciis tortum enecarent. *Cesār*.

IMPRUDENTIA ex quatuor capitibus probatur. 1. Quia animo magis quàm ratione pugnabant, *Polybius*: & μετὰ οὐλούχεως, *inconsideratè*, *Strabo*, quare facillimè à Romanis deuidi. 2. Quòd peregrinos & mercatores interrogarent, & rumores ab iis sedulò expiscarentur, & his auditionibus permoti de summis saepè rebus deliberarent: ita *Cesār* & plerique alij. 3. Quòd mulieres suas in consilium adhiberent, & ex earum arbitrio bella committerent, *Plutarchus*, & *Polygonus*. 4. Quòd vicinis læsis illico currerent ad arma, quasi ipsi læsi essent; ita *Cesār*.

NVM. 2. *Virtutes Gallorum.*

FORTITUDO prima & propria Gallorum erat: μαχηται πάντες τῇ φύσει, *Strabo*, qui etiam vocat τὸ φύλον ἀρεμανίου γέθυμον, ideòque à Romanis coactos esse γεωργεῖν. Mortis erant supra modum contemptores; vnde & collabentibus domibus, aut ardentibus non fugiebant, *Aelianus*. Leuem retrocessionem in bello magno probro ducebant, *Leo Imperator*. quòd spectat istud Flacci,

Non pauentis funera Galliae.

Inde inter se facillimè decertabant, aliquando pro femore pecudis, quod strenuissimus rapere solebat; hoc sibi si vendicaret aliis